

cœpisse 500 ætatis anno præcise generare, sed 502. eoque ipso anno generatum esse Sem, ob idq; biennio post diluuium annorum 100. fuisse, vel Sem secundo anno post diluuium, cum generauit Arphaxad, non fuisse 100. annorum præcise, sed fuisse annorum 102. Atqui hæc sunt aperta tormenta Scripturæ. Neutrum probat quod dicit Pererius, vtrunque contra historiam est, vtrunque igitur præcise falsum.

Scaliger, vt Sem faciat primogenitum, diluuium incipiens ex anno vero fixoq; omnibus Chronologis 1656. mouet in antecedentem 1655. mundi, seu ex anno 600. in 599. Noach. Ponit Noach anno ætatis 501. generare cœpisse. Inde conficit Noachum, ante Sem, qui biennio post diluuiū centenarius generauit Arphaxad, nullum filium genuisse. Hæc miror viro sapienti excidere potuisse, quæ non attingerem, nisi aduersum me

A tela contorfisset nominatim. Quis vero dabit ei, Noach anno demum 500. gignere cœpisse? Moses negat, cum dicit: *Noach erat filius quingentorum annorum, & genuit, &c.* qua phrasi perpetuo annum currentem notat. Quingentesimo igitur anno currente cœpit Noach fieri pater, non vero 501. Sic ruit hypothesis demonstrationis, ruit etiam primogenitura Sem. Sed hoc leuiculum transeat.

Gravius illud est, quod diluuium anticipat cum quodam fastu: *Ergo diluuium iniuit anno Noe 599. non autem 600. vt hactenus omnes putarunt.* O nos omnes insipientes. Methusalah igitur sanctissimus patriarcha cū impiis diluuiō absorptus fuit, aut non vixit annos 969. Omnium enim sanorū calculo annus Methusalah 969. cū anno Noach 600. Mundi 1656. examussim coheret De ordine filiorum Noach satis: De anno diluuii, & dubiis cæteris infra suis locis porro aliquid.

SECUNDA PARS LIBRI GENESEOS.

NOACH.

CAPVT SEXTVM.

Hactenus AD AM: sequitur NOACH vsque ad caput 12. Incipit hæc pars proprie à vers. 9. vbi Masorethæ secunda lectionis initium ponunt, quod triplex *החור* in Hebr. textu indicat, eamq; vsq; ad vocationem Abrahæ cap. 12. extendunt. Est autem historia de causis, inundatione, & cessatione diluuii, deq; instauratione mundi per Noach & filios eius, quorum generationes, præsertim Sem, in cuius familia linea Christi & *χρονολογία* mundi continuatur, describuntur vsq; ad mortem Therah: annorū videlicet 548. initio sumto ab anno 480. Noach, à quo 120 anni resipiscentiæ hominum concessi inchoantur, vt apparebit infra Porro hoc capite Moses exponit mundi degenerantis tetra flagitia, & deploratā prauitatem, qua post multā patientiam Deus tandē ad eum diluuiō subuertendū fuit compulsus, solo Noach cū familia excepto, cuius solius corruptissimo illo seculo pietatē prædicat. Exemplum audiemus extremæ malitiæ & peruicaciæ degenerantis mundi. Contra incredibilem patientiæ & clementiæ Dei in prauitate hominū diu toleranda & corrigenda: Nec non horribilis iudicii & iræ Dei in deploratis mundi sceleribus puniendis. Tandem vero etiam gratiæ & sapientiæ singularis eiusdem, in piis à communi impiorum interitu per admiranda media seruandis.

Partes capitis præcipue duæ sunt.

CAVSÆ *αἰτίας* describuntur vniuersalis diluuii, quo prior mundus deletus est: vsq; ad versum 13.

II. Arçæ fabricandæ ratio Noach diuinitus monstrata, vsque ad finem.

C. Vtraque suis iterum constat membris, quorum hæc est series.

In prima parte erit:

1. Mundi crescentis degeneratio & prauitas. ver. 1. 2.

Zz 3

2. Com-